

litas in secundis est modesta et demissa, in adversis erecta et magnanima. » Ita habet Vita ejus cap. ix.

Sicut ergo est nimia justitia, de qua dicitur *Eccle. xvii*: « Noli esse justus multum » (ubi vide nostrum Pinedam septem modos seu species nimiae justitiae assignantem), sic est et praepostera nimiaque humilitas. Alioqui quisque sapiens debet esse humilis in sapientia sua, scientia enim inflat: quare res mira et rara est, vir sapiens et humilis. Viri graves, teste Ribadeneira in Vita S. Patris nostri Ignatii, in Societate Jesu admirati sunt tria, sive tres rerum dissimilium combinationes, scilicet primo, tantam humilitatem conjunctam cum sapientia; secundo, tantam obedientiam cum tanta prudentia; tertio, tantam castitatem cum tanta juventute. Verum sicut omnis virtus, utpote consistens in medio duorum extremorum vitiorum, suum habet excessum et nimium, sic habet et humilitas. Sicut ergo summum jus summa est injuria, et summa sapientia summa est insipientia: sic et summa humilitas summa est vilitas. Talis est, quando filius se humiliat obediuntque parenti praecipienti ut furetur, quando servus nimis humiliter obedit hero jubenti violari praecipia Ecclesiae, quando Religiosus viliter obedit Superiori mandanti illicita. Talis est quoque cum Superior nimis se demittit, cum jactura auctoritatis, de qua S. Augustinus in *Regula*, cap. xi, et habetur 86 dist., cap. *Quando*: « Quando, ait, necessitas disciplinae in moribus coercendis dicere vos iura verba compellit, si etiam ipsi modum vos excessisse sentitis, non a vobis exigitur, ut a vobis subditis veniam postuletis, ne apud eos, quos oportet esse subjectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. » Ocasione ergo pauperum nimis se divitibus humiliantium, profertur haec a Siracide sententia generalis, quae tamen multis aliis in rebus locum habet.

Moraliter nota, quod ait: « Humiliare Deo, » et missimum, justissimum, utilissimum et sanctissimum esse. Tum quia humilitas proprie est virtus divinae debita majestati, ait S. Bernardus; haec enim majestas exigit, ut nos profundissime sub ea demittendo, summe et immense, si fieri posset, eam colamus et veneremur. Unde S. Petrus, *epist. I*, cap. v, 6: « Humiliamini, ait, sub potenti manu Dei. » Vide quae ibi dixi. Tum quia Deus jam incarnatus humilitatem summam exemplo docuit magis quam verbo, dicens: « Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris, » *Matth. xi*, 29. Unde S. Bernardus, *serm. 1 De Nativitate*: « Quid, ait, magis indignum, quid detestandum amplius, quid gravius puniendum, quam ut videns propter te Deum parvulum factum, ultra apponat homo magnificare se super terram? Intolerabilis

impudentiae est, ut ubi sese exinanivit majestas, vermiculus infletur et intumescat. » Et S. Augustinus *Soliloq. cap. 1*: « Noverim me, noverim te, ut amen te, et contemnam me. » Porro S. Anselmus, *lib. De Similitudine*, cap. c et seq., septem recenset gradus humilitatis: *primus* est, culpam non occultare, sed agnoscere; *secundus* est, de ea dolere; *tertius*, eam confiteri; *quartus*, ut hoc ipsum quod confitemur, ita esse persuadeamus tunc enim pura est confessio, si eam sequitur voluntaria persuasio; *quintus*, ut talem se ab aliis judicari consentiat; *sextus*, ut, cum ei aliqua injuria fit, ita eam suscipiat patienter, quasi commodum sibi magnum fieret; *septimus*, non tantum tunc non murmurare, sed et vindictam Dei amare, eique gratias agere: « Tunc enim Deo grata est satisfactio, cum in ejus mente qui satisfacit, nulla manet murmuratio, sed pia jugiter fervet dilectio. »

Porro in omni occupatione, loco et tempore summe debemus Deo animam humiliare, sed maxime in oratione. Causam dat S. Bernardus, *serm. De Quatuor orandi modis*: « Omnino oportet, inquit, orationis tempore curiam intrare celestem, illam utique curiam, in qua Rex regum stellato sedet solio, circumdante innumerablem et ineffabilem beatorum spirituum exercitu. Unde et ipse qui viderat, quia majorem numerum non invenit: Millia, ait, millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. Quanta ergo cum reverentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet, a palude sua procedens et repens, ranuncula vilis? Quam tremebundus et supplex, quam denique humilis et sollicitus, et toto intentus animo, majestati gloriae, in praesentia angelorum, in concilio justorum et congregatione, assistere poterit miser homuncio? In cunctis igitur actionibus nostris multa opus est animi vigilantia, sed praecipue in oratione. Nam licet omni hora et omni loco oculi Domini super nos speculentur, maxime tamen in oratione. Porro quamvis ubique sit Deus, in caelo tamen orandus est, ibique orationis tempore cogitandus; ut mens nostra non oratorii tecto, non aeris spatio, non ipsa retardetur nubium densitate, juxta eam formam, quae nobis a Christo tradita est, ubi ait: Sic orabit: Pater noster qui es in caelis, » etc. Unde idem, *serm. 7 in Cant.*, docet angelos assistere orantibus: « Credimus, ait, sanctos angelos astare orantibus offerre Deo preces et vota hominum, ubi tamen sine ira et disceptatione levare puras manus perspexerint. Probat hoc angelus ita loquens ad Tobiam: Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas, ego obtuli orationem tuam Domino. »

SECUNDA PARS CAPITIS,

QUAE DOCET QUOMODO AGENDUM SIT CUM POTENTIBUS ET DIVITIBUS.

12. ADVOCATUS A POTENTIORE DISCEDE: EX HOC ENIM MAGIS TE ADVOCABIT. — Tigurina, *si te potens advocet, fac refugites; tantoque ille te vocabit magis, ac sapius*. Hoc enim significat Graecum *πρὸς ἐξουσίαν*, quod habent Complutenses. Syrus, *accedente ad te divite, esto elongans ab eo*. Huic affine est illud Salomonis *Prov. xxv, 17*: « Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, nequando satiatus oderit te. » Docuit nos, ait Palacius, ut principum aulas fugiamus, quantum scilicet est ex nostra voluntate. Quid si illi nos vocant? respondet: Discede. Ubi cave intelligas, non esse veniendum, imo parendum est eorum mandato; nec licet ab illo discedere. Sed sensus est: Ubi advocatus a potentiore, venisti, discede quam primum liceat ab aula; non placeat ibi consistere. Ea enim ratione magis te ille vocabit. Magis enim cupimus ea quibus caremus, quam quae ad manum habemus; cupimus enim semper negata. » Hinc sponsa vocata a sponso dicente *Cant. v, 2*: « Aperi mihi, soror mea, etc., quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium, » subduxit se, praetextens: « Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? » Vere Livius *lib. V*: « Spreta, ait, in tempore gloria, interdum cumulationi reddi; » et: Certum est quod continuus aspectus magnos etiam viros, nimia satietate, minus virendos facit, quia familiaritas parit contemptum. Et Euripides in *Hippolyto*:

Heu, heu modestia, quomodo ubique pulchrum quid, Et gloriam bonam inter mortales affert?

Rursum, si peracto negotio cum principe, ob quod eo evocatus es, illico discedas, ostendes primo, te non ambire aulas; secundo, te revereri principem; tertio, te esse modestum; quarto, te amare vitam privatam et silentium. Quae omnia cum sint virtutes rarae, majorem tui amorem, admirationem et cupiditatem principi concitabunt, ut te rursus et saepius advocet: uti Saul Davidem ab aula in suam Bethlehem regressum ad se revocavit, et Cardinalis Ostiensis caeterique crebro ad se evocabant S. Franciscum, ob ejus humilitatem, modestiam et sanctimoniam. Mire enim principibus placent humiles et sancti. Idem videre et fecere Philosophi. Lacides Cyrenaeus accersitus ab Attalo rege, respondit, « imagines eminentes spectandas, » innuens arctam assiduamque familiaritatem saepe minuere virtutis admirationem. Ita Laetius *lib. IV*, cap. viii. Diogenes Cynicus Alexandri Magni visitationem neglexit, imo despexit; paucis enim quae natura dabat contentus, dicebat se Alexandri gratia et

donis non indigere. Quam animi celsitudinem admirans Alexander dixit: « Si non essem Alexander, vellem esse Diogenes. » Ita Laetius, Plutarchus et alii in Alexandri et Diogenis Vita. Longe celsior fuit Eliseus, qui *IV Reg. iii, 13*, vocatus a Joram rege Israel idololatra: « Quid, ait, mihi et tibi est? vade ad Prophetas patris tui, etc. Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto, quod si non vultum Josaphat regis Juda erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem. Nunc autem adducite mihi psaltem, » etc. Sic S. Antonius parvi faciebat litteras Constantini Magni ad se missas, ideoque magis ab eo colebatur. Idem fecit S. Hilarion, S. Simeon Stylites, S. Macarius, caeterique Ascetae et Anachoretæ. Scite Plutarchus censuit, « non secus agendum cum rege, quam cum rogo. » Sic salutariter virum clarissimum Heedecium Apollinaris Sidonius hortabatur *epist. 3*, *lib. III*: « Actutum in patriam receptui canere festina, et assiduitatem tuam periculosae regum familiaritati celer exime; quorum consuetudinem spectatissimus quisque flammaram naturae bene comparat, quae sicut paululum a se remota illuminant, ita satis admota comburunt. »

Post recensita incommoda familiaritatis cum divite et magnate, nunc docet qua ratione cum eis agendum et versandum sit; qua de re utilia dat praecipia. Primum est hoc. « Advocatus a potentiore discede; » sequitur secundum:

13. NE IMPROBUS SIS, NE IMPINGARIS: ET NE LONGE SIS AB EO, NE EAS IN OBLIVIONEM, — *q. d.* Ne impube, id est importune (sic Virgilius *I Georg.* ait: « Labor omnia vincit improbus, » id est, assiduus, importunus, insatiabilis. Ibidem anser vocatur improbus, id est, importunus. Sic Quintilianus *lib. XI*, cap. ult., ait: « Perfricare frontem, et quasi improbam, » id est, inverecundam, « facere. » Et Plautus: « Improbiorem non vidi faciem mulieris », te ingeras potentioribus, « ne impingaris, » id est, ne extrudaris et ejiciaris; sed neque nimis te elonges ab eo, ne tui obliviscatur, ac favoris et beneficiorum ejus quibus indiges, vel quandoque indigebis, sis expers. Graece *μη ἐπιπίπτει*, quod Romana vertunt, *non intrudas te, ne expellaris; et ne longe distes, ne eas in oblivionem*; alii vertunt, *ne irruas, ne repellaris; et ne absistas, ne oblivioni deris*; Tigurina, *ne ingeras te, ut ne temere* (hoc enim *μη ἐπιπίπτει*, id est, sine judicio, temere) *rejiciaris; nec rursus abscedas procul, ne oblivioni tradaris; Syrus, ne appropinques, ne abjiciaris; et ne elongeris, ne odio habearis*. Ita Alexander Magnus rogatus, « quomodo ad principem sit accedendum? » respondit, « tan-

quam ad ignem, ut neque ad eum valde prope accedas, ne comburaris; neque longe nimis abscedas, ne frigeas, et non calefias. » Secus se res habet cum Deo; vult enim ipse, utpote optimus, nos quare proxime et frequentissime ad se accedere, nihilque tam probum quam in hoc accessu esse improbum et importunum. Ita fecit Psaltes *Psalm. LXXII*: « Ut jumentum, inquit, factus sum apud te, et ego semper tecum; » et: « Mihi autem adherere Deo bonum est. » Vide parabolam amici ab amico media nocte postulantis panes, et ob improbitatem, id est importunitatem, suam petitionem impetrantis, qua Christus Dominus significat nostras ad Deum preces debere esse continentes et importunas, *Lucæ XXI, 8*.

14. NE RETINEAS EX ÆQUO LOQUI CUM ILLO, — *q. d.* Ne sustineas loqui cum principe, quasi par cum pari, sed quasi inferior cum superiori. Legit Noster *ιστορησθησθαι*, id est, *æquo loqui*; *ισος* enim est æqualis. Jam legunt *επιστορησθησθαι*, id est *alloqui*. Tertium hoc est documentum agendi cum principibus. Noster Emmanuel Sa putat esse hyperbaton; verba enim esse trajecta, sicque ordinanda, *q. d.* Retine, id est, contine te, ne ex æquo loquaris cum illo, quasi æqualis cum æquali. Verum hæc dura et obscura est trajectio. Dico ergo, ne retineas, id est, ne te retentes, cum potentem alloqueris, ne in alloquio ejus diu persistas; quod illi faciunt, qui sibi in dicendo placent, et protrahunt sermonem in longum quamdiu eis libuerit. Unde Græcum *μη επιζησῃς* aliqui vertunt, *ne intende, contende, protende sermonem*; Syrus vero vertit, *ne confidas colloqui cum illo*; Tigurina autem, *ne dubites colloqui cum illo*. Græcum enim *επιζησῃς* multa et quasi contraria significat, scilicet retinere, exspectare, sustinere, cunctari, differre; item incumbere, immorari, applicare, admovere, obtinere, instare. Omnia hæc licet in speciem contraria inter se, recte congruunt, huicque loco adaptari possunt, *q. d.* Ne confidas, id est, ne confidenter, libere, audacter, inverecunde loquaris cum principe, quasi familiaris, et par cum pari; ideoque ne æquo loquacior retentes et prolonges sermonem cum eo: cum principibus enim adeo occupatis, qui tam multos audire debent, paucis et bene præmeditatis ac præconceptis verbis agendum est, ne cum tædio eorum auribus et tempore quis abutatur; vicissim tamen non ita retentes sermonem, ut principem quasi numen aliquod ineffabile vereare, nec alloqui audeas, quin potius ne dubita cum eo loqui; esto enim sit princeps, est tamen et homo similis tui, atque ad hoc princeps constitutus est, ut te et cæterorum subditorum querelas et postulata audiat, eisque quoad potest satisfaciatur. Exemplum sit Eumenes rex, qui fratribus suis crebro dicere solebat: « Si me ut rege usi fueritis, vobis tanquam fratribus gratificabor; sin autem tanquam fratre, ego vobis ut rex. » Ita Antonius in *Melissa*, p. II, serm. 1. Ita aquila gaudet aliarum

avium comitatu, quæ illam sequuntur, ut prædæ ejus sint participes; at si nimis prope accedant, indignans aquila eas invadit et necat. Ita Alexander Magnus Callisthenem sibi intimum sustulit, eo quod liberior esset et loquacior, ait Dio lib. LIX. Et Apollodorus architectus rogatus ab Adriano Imperatore, quid censeret de fabrica fani Veneris, cum ingenue diceret sibi videri minus congrue fabricatum, ab eo enecatus est, ait idem Dio. Præclare Plutarchus in *Moral.*: « Sicut, ait, in vulnere prius apparet sanguis quam plaga, et sicut prius emicat fulgur, quam tonitru audiatur: ita apud multos principes prius erumpit condemnatio quam probatio, et perit delatus priusquam coarguatur. » Unde subdit Siracides:

NEC CREDAS MULTIS VERBIS ILLIUS (est hoc quartum monitum agendi cum principe. Causam subdit): EX MULTA ENIM LOQUELA TENTABIT TE, ET SUBRIDENS INTERROGABIT TE DE ABSCONDITIS TUIS. — Tigurina, *multis enim sermonibus pertentabit, et quasi per risum arcana tua rimabitur*; Syrus, *ne credas multitudini sermonum ejus, quia multitudo sermonum ejus tentationes, et vexat te, donec videat finem tuum*. Solent enim principes blandiri, multaque promittere ut secreta pernoscant, præsertim contra se dicta vel facta aut facienda, ideoque multis interrogationibus quasi per risum et jocum pertentant suos. Hinc solent propinare vina, et inebriare vel exhilarare eos quorum secreta expiscari volunt; ebrii enim rogati quidvis edicunt. In vino enim veritas. Hoc est quod ait Horatius *De Arte poetica*:

Reges dicuntur magnis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant.

Ita fecit Josephus scriptor *Antiquit. Judaic.*, ut ipse de se refert in Vita sua. Rursum, « ne credas multis verbis illius, » ut amittas reverentiam, induasque libertatem et audaciam, qua ex æquo et quasi par cum pari libere loquaris. Alioqui ubi te audacior ipse viderit, textet tecum multa verba, per quæ tentet et exploret te quasi per risum, familiariter et jocose, ut sequitur.

15. IMMITIS ANIMUS ILLIUS CONSERVABIT VERBA TUA, ET NON PARCET DE MALITIA, ET DE VINCULIS. — Perperam quidam manuscripti verba *ansponunt*, sicque legunt, *de absconditis tuis immitis animo illius, et conservabit (alii, non servabit) verba tua*. Vide Franciscum Lucam in *Notis* h. l. Sensus est, *q. d.* Immitis ejus animus verba tua perpendet, et, si ex illis cognoscat aut suspicet te aliquod crimen commisisse, vel minus ei amicum fidum, que fuisse, aut aliquid contra eum machinari, non parcat te affligere et vincire, sed tradet te vinculis et torturæ. Malitia enim, Græce *κακωσιν*, idem est quod maleficium, sive afflictio. Græca contrarie habent, *immisericos est victa non servaturus, nec affligere te vincireque passurus*. Ita Tigurina, *q. d.* Promittet tibi impunitatem, imo præmia, ut libere dicas si quid contra illum di-

xeris aut feceris, vel ab aliis dictum aut factum vel faciendum scias; at ubi illa dixeris et revelaris, promissum non servabit, sed te incarcerationi et puniet acriter; Syrus, *sine misericordia reddetur retributio, et non parcat animabus (vitæ) multorum, q. d.* Multos quos prodideris ei adversarios, occidet, etiamsi contrarium promiserit, imo jurarit.

Moraliter Palacius: « Habent aulici, ait, ex hoc textu primum, principes id habere, quod dissimulatores sint; ut enim explorent pectus tuum, mille verborum technis id conantur. Habent secundo, quod sunt animo immiti; nam mitis longe distat a superbo, quales solent principes esse. Habent tertio, quod ut plurimum offensi non parcent, quin offendant et lædant eum a quo se læsos arbitrantur. Interim non tales sunt omnes; sed Auctor videtur in durum principem incidisse. » Hæc Palacius. Exemplum sit Thomas Morus Angliæ Cancellarius, Henrico VIII intimus, quamdiu rex in fide et castitate persistit; ast ubi incestus Annæ Bolenæ nuptias ambivit, Thomam dissentientem sentiens carceri inclusit, ac tandem gladio peremit. Unde hunc aulæ ludum prævidens, imo pervidens, Morus ad amicum hisce versibus de eo lusit:

Sæpe mihi jactas faciles ut principis aures
Liber, et arbitrio ludis ut ipse tuo.
Sic inter domitos sine noxa sæpe leones
Ludjitur, at noxæ non sine sæpe metu.
Infremit incerta crebra indignatio causa,
Et subito mors est qui modo ludus erat.
Tuta tibi non est, ut sit secreta voluptas:
Magna tibi est; mihi sit, dummodo certa, minor.

Huc facit apologus philomelæ et accipitris apud Hesiodum, lib. I *De Diebus et Oper.* Philomela enim capta ab accipitre rogabat ut sibi parceret, quod parva esset et canora, nec sufficiens ejus ventri implendo. Cœpit ergo suaviter canere, corde licet anxio. At accipiter: Prædam, inquit, certam habeo, illam pro incerta non dimittam. Philome-

lam ergo laceravit et voravit. Ita subinde faciunt suis familiaribus principes et tyranni.

16. CAVE TIBI, ET ATTENDE DILIGENTER AUDITUI TUO (quid audias, quid scilicet roget princeps): QUONIAM CUM SUBVERSIONE TUA (id est, cum periculo subversionis tuæ) AMBULAS. — Tigurina, *fac tibi caveas, et auscultes perquam attente, quia cum ruinâ tuâ ambulas, q. d.* Ut vincula et mala jam dicta a principe tibi inferenda effugias, cave tibi, et dum quid te interrogat, noli præpropere respondere; sed prius bene perpende quid ab eo audias, quid scilicet roget, et quo fine, quoniam agis cum eo qui te fortunis, statu et vita evertere potest: quare ita responsum tuum compone et tempera, ne tibi vel aliis periculum crees. Unde explicans subdit:

17. AUDIENS VERO ILLA (quibus scilicet te tentat), QUASI IN SOMNIS VIDE, ET VIGILABIS. — *Tu in somnis* ne referas ad *audiens*, *q. d.* Audito verba principis quasi in somnis, id est, æstima promissa ejus non esse veracia, sed fallacia quasi somnia. Sed refer ad *vide* et *vigilabis*, *q. d.* Cum audis interrogata principis, noli dormire, et oscitanter respondere, ne verbis tuis improvide prolatis capiaris et illaquearis; sed esto similis ei qui in somnis videt aliquod grave malum vel periculum sibi imminens, ideoque illico somnum discutit et evigilat, ut illud a se propulset: ita et tu omnes vires animi advoca, et vigilantem cogita quid respondere debeas. Igitur quasi in somnis, id est, quasi noctu vigil attentissime et secretissime hoc ipsum considera et præmeditare. Hunc sensum exigunt Græca, quæ sic habent, *cum hæc audies in somno tuo, evigila*; Tigurina, *hæc audies per somnum tuum, evigila*; Syrus, *cave et esto advertens, quia cum raptoribus ambulas*. Unde Palacius: Audiens, inquit, verba principis, videaris tibi tuam perditionem, velut per somnium aspiciere, quæ res faciet te vigilantem et attentum. Aut: Ut qui somno pressus est, nulli alii rei attentus est, nisi illi quam somniat, ita tu attentus esto principis verbo.

TERTIA PARS CAPITIS,

QUA DOCET CONVERSANDUM CUM ÆQUALIBUS.

18. OMNI VITA TUA DILIGE DEUM, ET INVOCA ILLUM IN SALUTE TUA. — Græce *in*, vel *ad salutem tuam*, ut scilicet te salvet a quovis periculo; Tigurina, *per omnem vitam tuam ama Dominum, et eum in salutem tuam invoca*. Apposite hanc sententiam præcedentibus subjungit, quia per eam periculi jam dicti remedium efficacissimum assignat, scilicet Dei amorem et invocationem, *q. d.* Ne periculum bonorum vel vitæ incurras, cum examinaris et tentaris a principe per incautum aliquod responsum, cura ut per omnem vitam Deum di-

ligas, eumque invoces; ipse enim se diligentes et invocantes tuetur et dirigit, ut salvi et incolumes per quævis pericula incedant; ipse linguam tuam frenabit et moderabitur; ipse verba tua ita disponet et componet, ut nullum tibi creent periculum, juxta illud: « Hominis est præparare animam, et Domini gubernare linguam, » *Prov. XV, 1*. Aliter Palacius: « Nota secundo, inquit, illud, In salute tua, quasi dicat: Indignissimum est, nec in salute, nec in infirmitate invocare; indignum est in sola infirmitate clamare; dignissimum,

et infirmitate et in salute ardentem invocare. Nec enim in salute innumeræ nos miseræ premere cessant, ac ideo clamare constringunt. Nota tertio, plenum est periculi, Dei in salute oblivisci, juxta tritum illud Augustini: Juste moriens obliviscitur sui, qui vivens oblitus est Dei. » Aptè dilectionem jungit invocationi, quia alterutra sola non sufficit; nec enim Deus te e periculo liberabit, licet eum diligas, nisi et opem ejus invoces; aut licet eum invoces, si non et eumdem diligas. Voces enim et vota impiorum non audit Dominus, et dona iniquorum non probat Altissimus, ut dicit cap. xxxiv, 23. Hoc ergo est optimum in omni periculo, tentatione et tribulatione remedium, scilicet amare et invocare Deum, juxta illud *Psal.* cxlv, 18: « Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. »

Præclare S. Bernardus, *serm.* 3 inter parvos: « Sicut anima, ait, vita est corporis, ita Deus vita est animæ; et sicut corpus mortuum est quod per quinque sensus ab anima non vegetatur, ita anima mortua est, quæ per hæc Domino non humiliatur. » Idem, in *Sententiis*: « Est ergo vita animæ veritas, sensus charitas. » Et Rabanus: « Cæteris, ait, reprobatæ quæ mutabilia et caduca sunt, hoc solum quod stabile et mansurum est, commendat. Hoc est, ut Deum diligas, et mandata ejus conserves, et auxilium ejus quotidie implores. Quoniam bonus est Dominus sperantibus in se, animæ quærenti illum. » *Thron.* iii, 25. Quapropter causa cur tota vita diligendus sit Deus, est, quod Deus sit quasi anima et vita animæ nostræ, *Deut.* xxx, 20, ac proinde æquum est ut quod corpus præstat animæ, id ipsum anima præstat Deo, et ob ejus amorem cuncta faciamus. Ita D. Thomas, opusc. 61 *De Dilect. Dei*, cap. xx, et S. Augustinus in *Medit.* cap. xxxii. Sicut ergo corpus omnes vires et nervos occupat in obsequium et conservationem animæ, a qua se vitam, sensum et motum habere non ambigit; et nihil aliud timet nisi ab anima separari, aut ab ejus amplexibus avelli: itidem faciat anima Deo; illi omnes actiones, affectus, cogitationes offerat et consecret; propter illum afflictiones, dolores et tribulationes omnes sustineat; si orat, ut illi placeat, oret; si psallit, ut eum collaudet, psallat; quidquid agit, agat ut eum colat et veneretur; nullam rem capessat vel inchoet, nisi ejus amore et reverentia. Quocirca S. Gregorius Nazianzenus, orat. *De Cura pauper.*: « Non tam sæpe, ait, respirare oportet, quam meminisse Dei. » Deus enim continuo et continenter nobis benefacit, nobisque animam et vitam jugiter inspirat et creat. Et Hugo Victorinus, lib. iii *De Anima*: « Sicut nullum est momentum, quo homo non utatur ac fruatur tua bonitate et misericordia: sic nullum debet esse momentum quo te præsentem non habeat in memoria. » Cingit enim nos Deus et circumdat undique sua præsentia, operatione et essentia, velut aqua, aer, ignis, imo oceanus bo-

nomum omnium. Unde S. Augustinus in *Confess.* lib. X, cap. xxvii, suspirat et gemit: « Sero te cognovi, pulchritudo tam antiqua, tam nova, sero te amavi. Væ tempori illi quando non amaverim te. Væ mihi et iterum væ, si quando non amaverim te. Utinam potius non essem, quam essem aliquando absque te! »

Præxin piam hujus præcepti, per modum jugis præsentia Dei, seraphice docet Seraphicus S. Bonaventura in *epistola* sua, qua memorabilia 23 complectitur: « Vigésimum secundum, ait, est, quod Deum semper et ubique habeas in memoria, ut solutus ab omnibus creaturis, tanto mentis conatu desideriique fervore circa tuum Creatorem intendas, ut quasi omnium inferiorum oblitus, quidquid agas, et ubicumque steteris, et quibuscumque negotiis impliceris, die ac nocte, omni momento et hora Deum semper habeas in memoria, credens et cogitans te esse verissime coram eo, et ipsum cogitans undique te aspiciere. Hæc autem cogita cum magna reverentia ac timore pariter et amore, et cum magna discretionem: nunc ante pedes immensæ majestatis ejus prostratus, corde amarissimo peccatorum veniam postulando; nunc sacratissimæ passionis Filii Dei gladio compassionis coram ejus cruce vulneratus, cum eo lacrymosus et flebilis apparendo; nunc totius vitæ illius decursum, obliquitatis tuæ velut rectitudinis lineam proponendo; nunc inenarrabilia et immensa beneficia Dei mente pertractans, gratiarum actionibus insistendo; nunc stimulis ipsius amoris ardentissime punctus, ipsum in creaturis omnibus intuendo; nunc potentiam, nunc sapientiam, nunc bonitatem et clementiam ejus attendens, eum devotissime in suis operibus collaudando; nunc desiderio patriæ celestis, ad ipsam gemebundis suspiriis anhelando; nunc circa nos viscera inestimabilis charitatis ejus aspiciens, lætabunda quadam et excessiva admiratione corde et animo in ipso deficiendo; nunc te præcipitem, nunc te fugientem, nunc te ruentem; nunc Deum te tenentem, sublevantem, retinentem et attrahentem; nunc Deum te ingratum per omnia conversantem considerans, ineffabilibus divinæ misericordiæ visceribus tibi patefactis, nimio in ea charitatis ardore te conferens, totum te fletibus resolvendo; nunc vero occultissima, profundissima et summe arcana, nimiumque stupenda judicia justitiæ ejus diligenter attendens, eum in omnibus fidelis et constans cum summo amore, ingenti quoque timore ac tremore, discretus, supplex et humilis venerando; præ omnibus autem continuam et vivam memoriam ipsius sacratissimæ passionis in animo et corde tuo ferens, ei quantum potes studeas conformari. »

19. et 20. OMNE ANIMAL DILIGIT SIMILE SIBI: SIC ET OMNIS HOMO PROXIMUM SIBI. OMNIS CARO AD SIMILEM SUI CONJUNGETUR (Græce συνάγεται, id est conjungitur, id est, conjungi solet: unde melius vertit Noster,

conjungetur: Hebræi enim morem et consuetudinem solent exprimere per futurum), ET (id est sic, similiter, pariter) OMNIS HOMO SIMILI SIBI SOCIABITUR. — Græce, omnis caro secundum genus (secundum speciem; Hebr. לְכָל לְמִינוֹ. Vide *Gen.* cap. 1, vers. 11, 12, 21, 24) congregatur, et vir, id est, quisque homo, simili sibi agglutinabitur.

Redit ad thesaurum totius capitis, scilicet quemque cum æquali sibi conversari debere, non cum ditioni vel potentiori; idque probat ex simili cæterorum animalium. Omne, inquit, animal diligit et conversatur cum sibi simili, ut philomelæ cum philomelis, cyeni cum cyenis, oves cum ovibus: sic et homo cum proximo suo, puta cum homine; homo enim familiaris est homini, non leoni, equo, alterive animali. Unde Syrus vertit, *ex omni carne sibi et generi suo adhæret homo*. Sicut ergo « omnis caro, » id est, omne animal, ad simile, sive congener sibi, « conjungetur, » id est, conjungi solet, sic « omnis homo simili sibi, » tum in moribus, tum in opibus, « sociabitur, » puta justus cum justo, pauper cum paupere; non autem vice versa justus cum injusto, pauper cum divite. Nam, ut ait Aristoteles, lib. VIII et IX *Moral.*, « similitudo est causa amoris; » simili enim gaudet simili. Ex adverso « dispares mores, ait Cicero, lib. *De Amicitia*, disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias: nec ob aliam causam ullam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima esse potest, morum studiorumque distantia. » Plutarchus, tract. *De Discrim. adulteris et amici*:

Seni, inquit, senilis lingua jucundissima est, Pueroque puer, et mulier apta feminæ: Egrotus itidem egroto, et in malis situs Exercito malis placet atque congruit,

Laertius adducit et illud: « Canis cani videtur pulcherrima, bovi bos, asina asino, et sus sui. » Plato, lib. VIII *De Legibus*: « Amicum, ait, vocamus simile simili, quoad virtutem, et æquale æquali. » Huc facit illud Aristotelis, VIII *Moral.*: « Semper graculus assidet graculo. » Unde graculus græce vocatur κόκορος, ἀκόκορος, id est *conglutino*. Et Varro graculos Latinis inde dictos vult, quod gregatim volent: licet Quintilianus malit dictionem a graculorum voce conficiam. Et illud Theocriti, *Idyll.* 9:

Formicæ grata est formica, cicada cicadæ: Accipiter placet accipitri.

Idem potiori ratione accidit in hominibus. Vide S. Chrysostomum hom. 34 in *Iad Corinth.*, ubi ostendit primum caput et fundamentum diligendi proximum, esse ipsum Adam, primum omnium parentem, et communem quam ex eo trahimus naturam humanam: licet Siracides hic similitudinem potius conditionis et morum quam naturæ spectet, eamque dicat conciliare amicitiam. Præclare Nazianzenus in *Tetrastichis*:

Benignitatis dogma quod contractius? Quales apud te próximos esse expetis, Sis talis ipsis.

Huc facit proverbium Hebræorum quod recitat R. Juda in lib. *Musar.*: « Dixerunt, ait, sapientes nostri felicis memoriæ: Omnis avis prope genus suum habitat, et omnis homo prope similem sibi: ciconiæ enim habitant cum ciconiis, non cum aquilis; aquilæ cum aquilis, non cum ciconiis. »

Rationem a priori dat Aristoteles lib. I *Ethic.* cap. xi, et lib. VIII, cap. 1 et seq.: « Quoniam, ait, quod secundum naturam est, jucundum est, omniaque genera inter se conjuncta secundum naturam conjuncta sunt; idcirco ut plurimum quæ similia sunt ac genere conjuncta, jucunda sunt, ut homo homini, equus equo. » Ratio ergo est, quod qui amat simile, amat naturam suam, hoc est amat seipsum, v. g. homo amat hominem, quia amat suam naturam humanam, quam videt eandem, non numero, sed specie in alio homine. Eadem enim specie humanitas est in omnibus hominibus, sed in singulis per differentiam individualem contracta, factaque singularis et propria. Cum ergo quilibet homo amet humanitatem in semetipso, velut suam naturam, eandem quoque amat in alio, utpote eandem secum, saltem specie, et consequenter suam: quare hominem habentem humanitatem amat, tanquam habentem eandem plane naturam quam ipse habet; hoc est, tanquam alterum se. Igitur eum amat, quia amat se, suamque essentiam et naturam, cujus alter est compos et particeps: amat enim suam naturam ubicumque illa sit.

Similitudo ergo hæc, est identitas naturæ, non numerica, sed specifica: de qua proinde recte ait S. Ambrosius: « Nihil tam secundum naturam, quam amare naturæ consortem. » Idem est in similitudine qualitatis, v. g. sapientiæ, sanctitatis, etc. hæc enim similitudo, est identitas qualitatis, non numerica, sed specifica. Sapiens ergo amat sapientem, justus justum, quia sibi similem, hoc est, quia eandem specie habet dotem et qualitatem sapientiæ et virtutis, eandem, inquam, specie, non numero. Accedit, quod similia similibus nutriantur, conserventur, augeantur; dissimilibus vero et contrariis interimantur. Hinc animalia similia simul vadunt pabulatum, fugiunt vero dissimilia. Unde Hippocrates, lib. *De Ratione victus*: « Dissimilia, ait, in locis similibus consistere non possunt, sed non agnita vagantur, quæ vero se agnoscunt, commiscuntur: siquidem concordia inter se conveniunt, discordia pugnant. Propterea hominis anima nunquam nisi in homine augetur degitve; magnorum quoque animalium similiter. » Galenus etiam lib. *de Inæqual. temp. De discrasia inæquali*: « Non homo, ait, hominem morsu perimit, neque vipera viperam, neque aspidem; simile siquidem simili conveniens est atque amicum, contrarium inimicum atque molestum. »

Idipsum ad ægros et morbos extendit Hippocrates, lib. I, *Aphorism.* 1, et lib. V. Diserte Avicenna, lib. I, cap. 1: « Egritudo, ait, suo medicatur contrario, et conservatur sanitas suo simili. » Et Albertus Magnus, lib. VII, cap. 11: « Omnis, ait, natura desiderat simile sibi, nisi sit omnino destituta, et deducta ad inæqualitatem et discrasiam: tunc enim desiderat contrarium; sicut febricitans febre calida et sicca, desiderat frigidum et humidum, non quidem ut illo nutriatur, sed potius ut contrarii passionem facientis reducatur et reprimatur excessus. Secundo igitur desiderium est ad simile complexionem, et connaturalem cibum. »

Idem locum habet in herbis et plantis: palma enim gaudet palma, platanus platanum, cypressus cypresso; unde ut ramus unius arboris alteri inseratur, debet illi esse similis. Audi Columellam, lib. V *De Re rustica*, cap. XI: « Omnis, ait, surculus omni arbori inseri potest, si non est ei, cui inseritur, cortice dissimilis. Si vero etiam similem fructum, et eodem tempore affert, sine scrupulo egregie inseritur. » Subdit deinde, « antiquos veluti pro lege sanxisse, eos tantum surculos posse coalescere, qui sunt cortice et fructu consimiles iis arboribus, quibus inseruntur. »

Idem quoque verum est in loco et re locata. Nam, ut ait Aristoteles, lib. IV *De Cælo*, textu 23 et 25: « Locum est conservativus rei locatæ, a virtute naturali quæ est in loco: unde ferri in proprium locum, est ferri ad simile, et ad perfectionem. » Denique rationem jam datam confirmat S. Thomas, I II, *Quæst.* XXVII, art. 3, ubi hunc locum Ecclesiastici citat, ut probet similitudinem esse causam amoris. Ex hoc enim, ait, quod aliqui duo sunt similes, quasi habentes unam formam, sunt quodammodo unum in forma illa: sicut duo homines sunt unum in specie humanitatis, et duo albi in albedine; et ideo affectus unius tendit in alterum, sicut in unum sibi, et vult ei bonum sicut et sibi.

Porro maxime amorem conciliat similitudo morum, amorum et virtutum: vide Aristotelem, lib. VIII *Ethic.* cap. VIII, ubi docet amicitiam et amicum magis consistere in eo ut amet, quam ut ametur, esto redamationem requirat: « Aequalitas, ait, et similitudo amicitia est, et præcipue ea quæ est ex virtute similitudo: cum enim stabiles per se ipsi sint, etiam inter se mutuo permanent, etc. honorum siquidem est, neque ipsos peccare, neque amicis permittere: pravi autem firmitatem nullam habent. » Audi Rabanum: « Cum multa sint genera amicitiarum, solummodo hoc unum est genus insolubile charitatis, quod nec commendationis gratia, nec officii vel munerum magnitudo, contractusve cujusquam ratio, vel naturæ necessitas jungit, sed sola similitudo virtutum: hæc est quæ nullis unquam casibus scinditur, quam non solum dissociare vel delere locorum vel temporum intervalla non prævalent, sed ne mors quidem ipsa divellit. Hæc est vera et in-

disrupta dilectio, quæ gemina amicorum perfectione ac virtute conerescit. Cujus semel initum fœdus nulla adversitas mutare potest, nec desideriorum varietas violare. Cætera vero interrumpit frequenter ac dividit locorum discretio, et oblitio temporalis, et verbi, vel causæ, negotiorumque contractus. Ut enim ex diversis, vel lucr. vel libidinis, vel consanguinitatis, ac necessitudinum variarum societatibus acquiri solent. ita intercedente qualibet divortii occasione solvuntur. »

Moraliter, similitudo et paritas actuum in congregationibus conciliat aliorum amorem et benevolentiam, singularitas vero parit odium. Quare qui in monasterio vel cœtu cupit amari, et pacifice cum ædificatione vitam degere, communem sequatur mensam, communem vestitum, communes occupationes, communia exercitia. Nam qui singulares esse et videri cupiunt, et ab aliis se sequestrant, hi omnibus sunt odiosi, hos omnes notant, omnes judicant, et novæ eorum vivendi rationi detrahunt. Vide nostrum Alvarum de Paz *De Spirituali vita*, lib. V, cap. xxxvi. Hoc innuit Siraoides dicens: « Omne animal diligit simile sibi, et omnis homo proximum sibi. »

Tropologice, sicut creatura gaudet sibi simili, sic et Creator. Vis ergo placere Deo? stude indes magis et magis ei assimilari, in ejus attributis divinis, sapientia, bonitate, justitia, puritate, integritate, sanctimonia. Qua de re vide S. Thomam, opusc. 62, quod est de divinis moribus. Vis placere Christo? æmulare ejus humilitatem, patientiam, crucem, charitatem. Ipse enim ait: « Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, *Matth.* XI, 29. Et Apostolus *Ephes.* v, 1: « Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. » Hinc secundo, adverte, ait Palacius: « Quod Deus, quia amavit hominem, homo factus est, ut vere amaret sibi similem, ut amaret proximum, et caro carni simili conjungeretur. » Tertio: « Igitur si omne animal sibi simile amat, cur nos non amemus Christum nobis similem, et qui ideo similis nobis factus est, ut amaretur? » Quarto: « Quomodo, o Rex altissime, voluisti nobis conjungi? sanctus (liceat dicere) canibus: certe dives, et tam dives, tam pauperibus? » Hæc Palacius.

Appositum dilectionis Dei et proximi paradigma, Dorotheus *Doctr.* 6, assignat circulum. Sicut enim, inquit ipse, lineæ totum circulum per medium secantes, quo magis a circumferentia elongantur, eo magis centro approximant, in eoque coeunt et uniuntur: sic quo magis a mundo recedimus, eo magis accedimus ad Deum, qui est animæ nostræ centrum, in eoque magis colligimur et unimur. « Quo enim, ait, magis a Dei dilectione recedimus, eo magis et a proximi amore distamus: quantum vero Dei charitati adheremus, tantum et proximi; quantumque

proximo, tantum et Deo conjungimur. » Eadem enim virtute charitatis qua diligimus Deum, diligimus et proximum propter Deum: sicut eadem visione qua videmus lumen, videmus et colorem per lumen revelatum.

21. SI COMMUNICABIT LUPUS AGNO ALIQUANDO, SIC PECCATOR JUSTO, — repete *communicabit*. Pro si, aliqui legunt *seut*; Græca habent *et*, id est, *quid communicet lupus cum agno?* Exemplis firmat suam thesin, q. d. Nequit esse communitio et societas inter lupum et agnum, quia inter ea est naturalis antipathia et perpetuum dissidium, adeo ut agnus viso lupo illico fugiat, quia lupus eum persequitur, laniat et devorat: sic pariter nequit esse societas inter peccatorem et justum, quia in illo dominatur peccatum, in hoc justitia, quæ toto cælo distat, imo sibi invicem extreme adversantur. Unde Tigurina vertit, *quale est lupo cum agno commercium, talis est ad pium scelerosi ratio*: quia sicut lupus agnum, sic impius pium odit, persequitur, detrahit, et sæpe mactat. Apposite impium comparat lupo, ob sævitiam, rapacitatem, voracitatem; justum et pium agno ob mansuetudinem, innocentiam, continentiam, et quia similis est Christo, qui ab Isaia, Jeremia, Davide, S. Joanne, et aliis passim representatur per agnum. Causas dixi *Apocal.* v, 6. Dicit itaque diviti pauperum vitam, labores et sanguinem non minus dulcescere, quam carnem agniam lupo. Tyrannus ergo lupus, et leo et hyæna est. Porro Agnus hic noster divinus tantæ potentia et virtutis est, ut faciat agnos tuto conversari cum lupis, imo lupos vertat in agnos, sicut Saulum mutavit in Paulum, de quo prædixerat Jacob: « Benjamin lupus rapax, mane comedit prædam, et vespere dividet spolia, » *Genes.* XLIX, 27. Hoc est portentum sæculorum omnium, quod aureo Christi ævo spectandum stupet Isaïas cap. XI, 6: « Habitabit, inquit, lupus cum agno: et pardus cum hædo accubabit: vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. » Vide ibi dicta.

Alludit ad apologum Gabriæ (qui, ut dixi vers. 3, Platonem et Siraoidem antecessit) illo ævo celebrem de lupo et agno, quem ita affert Phædrus libertus Augusti Cæsaris, lib. I, *Fabul.* 1. Ad fontem levandæ sitis causa convenerant lupus et agnus. Lupus mox jurgii causam intulit: « Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi aquam? » Cui agnus: « Qui possim id facere, lupo, cum tu superius consistas, et aqua a te ad me profluat? » Repulsus veritate lupus: « Ante hos sex menses, ait, maledixisti mihi; » respondit agnus: « Equidem tuæ necdum natus eram. » Instat lupus: « Pater tuus maledixit mihi. » Atque ita correptum lacerat injusta nece. Affabulatio: « Sic potentes, dum nocere volunt, fictis causis innocentes opprimunt. Citat hanc lupi, ovem non ratione, sed potentia vincētis, fabulam S. Basilius, epist. 80 *ad Eustathium medicum*, quod calumniantium

ipse non ratione, sed potentia superetur, cum ipse sit innocens ut agnus.

Symbolice, lupus symbolum est cupiditatis, indeque noxæ et sævitia; lupus enim sævit in alia animalia, ut ea vorando suæ gulæ satisficiat; agnus vero, utpote sola puraque herba victitans, symbolum est societatis, indeque puritatis et innocentia. Nam primo, lupi tanta est ingluvies, ut etiamsi satur sit, si præda occurrat, illico quod comedit egerat vel evomat, ut prædam vorare possit. Sic gulonum mens non aliud sapit nisi escarum saporem: « Quorum proinde non alia est occupatio, ut ait S. Bernardus, quam ingerere, digerere, egerere, » nimirum ingerunt ut digerant, digerunt ut egerant; comedunt ut vomant, vomunt ut comedant. An non asotia hæc porcina est et lupina? de hisce dicitur:

Sunt quibus in solo sapientia tota palato est.

Secundo, lupi vis adeo maligna est, ut, si equus lupi vestigia calcet, obstupescat et obtorpescat. Audi Plinium, lib. XXVIII, cap. x: « Tanta vis est animalis (lupi), ut vestigia ejus calcata equis afferant torporem. » Abortire etiam equam ferunt, si lupi vestigia contingat, teste Orosio. Quocirca Egyptii mulierem abortientem representabant per equam lupi vestigia calcantem, ut refert Pierius, lib. XI; quæ res significat lupi naturam plane feram, malignam et indomabilem, quæ cicurari nequeat. Sic prorsus fera et indomabilis est gula et cupiditas, quæ proinde hominem se sequentem et obsequentem obstupescit, imo torpescit, ut videatur mente captus, nec sapiat res divinas et salutariter, sed videatur esse lupus et brutum.

Tertio, remedium contra hanc lupi vim obstupescientem sunt dentes ipsius lupi, ab ipso evulsi. Audi Plinium, lib. XXVIII, cap. XIX: « Dens lupi adalligatus infantium pavores prohibet, dentientique morbos; quod et pellis lupina præstat; dentes quidem eorum maximi, equis quoque adalligati, infatigabilem cursum præstare dicuntur. » Et superius: « Lupi adeps illitus vulvas molli, dolores etiam jecoris. Carnes lupi edisse parituris prodest; aut si incipientibus parturire sit juxta qui ederit, adeo ut etiam contra illatas noxas valeat. » Ita in malo natura posuit remedium, uti et fecit in vipera; ex carnibus enim vipera fit theriaca, quæ curat viperarum aspidumque morsus, ac contra venena est antidotum. Similiter gulæ remedium est, dentes illi evellere, hoc est, eam mortificare et resecare; guloso enim adimere delicias et vina, perinde est et æque durum, ac si illi dentes evellerentur. Mortificatio gulæ ergo tollit spiritalem animæ torporem, eamque facit agilem et celerem ad omne bonum, præsertim ut multas animas lucretur et paria Christo. Hinc a lupis et lupinis dentibus, frena equorum asperrima dicta sunt lupi et lupata, quod duritiam habeant lupinorum dentium; et quia inæqualia sunt æque ac lupini dentes, ideoque